THRENODIA DE MORTE CAROLI. V. ROM. IMPERATORIS, ET HISPANIARVM REGIS.

AVTORE GEORGIO AMERPACHIO.

Cum Gratia & Priuilegio Imp.

Dilingæ apud Sebaldum Mayer.

AD D. FERDINANDVM CAROLI QVINTI AETHERNA MEMORIA DIGNISS. Imperatoris fratrem, et Romani Imp. Cæsarem Augustum Imp. nostrum Inuictiss. & maximè pium, Georgij Amerpachij, Viti F. Carmen.

O Patriæ, Fernande, pater, tu maxima Diuûm
Cura, atq; Aonij lux q; salusq; chori:
Qui magnum summis fratrem uirtutibus æquas,
Rebus & es fractis aura secunda meis:
Hunc oculi uideant sedata mente libellum:
Quæso, tui, tibi quem mittit Amerpachius.
Est tenuis, fateor, tanto nec Principe dignus,
Verùm æqui studium consuluisse uelis.
Quæq; suos ætas (res digna) meretur honores,
Et iuuenes celebris laus manet, atq; uiros,
Hæc, mihi cum prima leuis lanugine mala
Serperet, expressit Cæsaris altus amor.

Nos olim paulò forsan maiora canemus,
Dum reget ingenium Pieris alma meum.
Interea tua me, Cæsar, clementia seruet,
Inq; clientelam sumat aduscq; suam.

Imp. T. Maiestatis

Perpetuus cliens
obedientiß.

IN MAIESTATE GENERIS, VIRTVTVM ORNAMENTIS, ADEO QVE PIEtate Illustriss. & potentiss. Cæsarem Augustum CAROLVM.V. Rom.Imp.& Hispaniarum Regem &c.patrię patrem,& Musarum patronum clementiss.Threnodia, Georgio Amerpachio autore.

CAEsareos luctus,& tristia funera dicam
Magnanimi Herois,terræq́;,marisq́; potentis,
Eximia pietate uiri,ac præstãtibus ausis, (Thule,
Quem metuit pharetratus Arabs, cuiq́; ultima
Ac Meröe assurgens extremis paruit oris.
Alme parens,qui summa tenes fastigia rerum,
Quo sine non homini concessum est condere quicq́;,
Aspira,& tanto uires,precor,adde labori:
Da faciles Musas,ceptisq́; allabere nostris.
Te duce,nunc magni liceat mihi Cæsaris acta
Condere,te cœlo Mauortia tollere gesta.
Hic mihi diuinum contingere posse Maronem
Optarim,nostræ qui duxq́;,comesq́; Thaliæ
Esset,& e sacro præberet carmina fonte

Carole, diuino, Cæsar diuine, poëta
Debueras tantum efferri, mea rustica Musa
Serpit humi, tantoq; premi se pondere sentit.
Sed tamen ipsa Ioui pietas placet, atq; uoluntas
Sæpe animum, sæpe is mentem, non munera curat.
Incipe lugubres mecum mea tibia uersus,
Vosq; ô Pierides, simul ingeminate querelas.
Et iam tristari totam terramq;, Polumq;
Cernere erat passim pecudes, pecudũq; Magistros.
Mellisonos prius ipsa ciens Luscinia cantus
In lachrymas iam tota graues resoluta gemiscit.
Ipsa etiam nusq; cœlo Iouis Ales aperto
Cernitur expansis transire per æthera pennis,
Et contemplari sese, totumq; profundum,
Sed potius claudens clarissima lumina tristis
Inferiora tenet, tanq; Iouis ignibus icta.
Vsq; adeò in luctus sunt omnia uersa repentè,
Cum patriæ pater est inuito funere raptus.
Pergite Pierides lugubres dicere uersus,
Deplorate caput uestrum, uestrumq; parentem
Regnatorem Asiæ, totius & Hellesponti.
Hesperiæ dolet inprimis Gens uulnere magno,
Ipsiusq; uiri uirtutes, & benè facta.
Nusquam de memori demittet pectore, semper

Manibus

Manibus illiusq; incendet thura Sabæa,
Altaq; de solido candenti marmore templa
Instituet, festosq; dies de more quotannis.
Est locus Austriacæ positus regionis ad oras
Regia diues opum, regali splendida pompa.
Vrbs Augusta nouis, atq; altis sedibus ingens,
Et reliquas inter magnum quasi Teutonis oræ
Lumen, & ornatus,, Maiestatisq; potestas.
Hancq; Licus celeri pede præterlabitur, unda
Cærulea currens magnum uacuatur in Istrum.
Hic, dum conueniunt proceres ex ordine Regni
Cæsareumq; Caput fratri tibi, Carole, frater
Instituit exequias curat, supremaq; dona
Triste ministerium, sed iustum pignus amoris
Fortè per ambages rediens ad tecta, laresq;
Ex septem longè, lateq; trione profectus
Incepi primam paulatim pingere partem.
Aggressus magnum facinus: quis non uidet? ausus
Haudq; pares nostris facilè, nec uiribus æquos.
Vatibus at meritò concessa est æqua facultas
A Ioue principio rerum, ductore Dearum.
Non ego profiteor talem me fortè poëtam
Antiquis similis fieri tamen ipse laboro.
Diue, tibi, Cæsar, debemus, Carole, multum

Immortale

Immortale decus propter, meritumq; parentis
Ipsum quo tantum non lucida ad astra tulisti.
Atq; utinam mihi tanta foret facundia, tanta
Copia dicendi, quanta est bene prompta uoluntas.
Non mea uel studium metuat, gratumue laborem
Musa neget patri patriæ, capitiq; uerendo
Donec Amerpachiana domus per numina stabit,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
O amor in doctas, studiumq; illustre Camœnas
Cæsaris Augusti rectoris totius Orbis,
Heroum Heroïs, Diuorum sanguinis ortus.
Si mihi, quos doctos magno decorauit honore
Iam recitare uiros concessa uoce liceret,
Vix hæc sufficeret mihi lux, aut altera, credam:
Atq; ut propositum præter cantemus, ab uno
Ordiar, unde queas totum uelut ungue Leonem
Nosse, quis insignis fama, pietateq; multum
Conspicui tantos Apiani nesciat illos
Ornatus, ipsi donatos munere gratis,
Quo Cæsar tantumq; uirum, tantumq; Magistrum
Complexus meritò est pergrato pectore, multas
Illustres propter uirtutes, ingeniumq;?
Sic uideas nec opes, auri nec pondera fului,

Sed

Sed mores magnum, ſed iudicijq; nitorem
Nobilitate grauem facere, & uirtute coruſcum.
CAROlus & Cæſar magno perculſus amore
Artis Cycliacæ ſancti Iouis incrementi
Stellarum curſus, & cœli calluit Orbes.
Magni conatus, & tanto Principe digni.
Sed non ingredior ſpacioſa per æquora Campi
Creſceret in magnum uerſus fortaſſe uolumen
Noſter, & adferret ſacris faſtidia Muſis.
Eheu, ſi genitor nobis ſupereſſet ademptus
Fata per, & triſtes anguſto pectore caſus.
Hic non aut ſtudio, curis aut parceret ullis,
Huic ego nunc uti poſſem doctore fideli.
Interea mœrens uix hæc, ſolusq;, miſerq;
Parua cano, patri patriæ tamen ipſe libenter
Gratari, ſicut res poſtulat ipſa, uolebam.
Dicite Pierides lugubres dicite uerſus.
Cæſare non illo bellis felicior alter,
Alter erat, nullus toti precioſior Orbi
Hoc in præſertim crudeli turbine gentis
Chriſtiadum, quæ tota fremens in aperta pericla
Præcipitat ſe amens, nullumq; (heu neſcia) cordi
Pharmacon admittit morbo graſſante per artus.
Ille usq; Occiduas pugnator fortis ad oras,

Et felix ſemper uictor, clarusq; triumphis,
Quos implorato ſupremo numine Diuûm
Geſsit, & extremos etiam peruenit ad Indos
Non ubi erat tellus, ſed ubi omnia pontus, & æther
Binas educens hic Herculeasq; columnas,
Quas ſua perpetui monumenta relinquere facti
Poſt ſeſe uoluit ſpacioſo Carolus Orbi.
Innotuitq; nouis populis, noua quando reperta eſt
Inſula, non ulli antehac inuenta uel uſquam.
Atq; hic errabant ſolis in montibus inter
Deſertas q;, cauasq; domos abſq; ordine multa
Corpora nuda hominum (res mira) inſtarq; ferarũ
Inde ferebantur nullis uel legibus uſi,
Imbutiq; Dei uel cognitione, uel ipſo
Verbo. ſed noſter Cæſar ter maximus ille
Relligione bonus Doctores iuſſerat iſtuc
Ire, uel ipſorum ſortem miſeratus iniquam
Qui ſanam miſeros doctrinam ritè docerent,
Et confirmarent uera pietate labantes
Sola Sophocleo Mauortia facta cothurno.
Aethereos illi motus, cœleſtis & ignis
Semina permulti puero ſub pectore forti
Dixerunt latuiſſe uelut cinere igne ſopito
Omnia quæ præ ſe clariſsima ſigna tulerunt

Magna-

Magnanimumq; uirum, bellatoremq; seuerum
Aequum iustitia fore, fortunaq; potentem.
Non minus & frater, quod nomen Ferdionando
Non casus, uerùm fortuna fecerat ipsi
Omnigena dignus cantari laude meretur,
Consilij prudens Cæsar, moderamine rarus
Tàm pietate bonus, quàm seruantissimus æqui.
Quemq; ideo frater successoremq; uolebat
Esse sibi iamiam moriens, regnisq; potiri.
Dignus uterq; cani Princeps, laudandus uterq;.
Carolus immites domuit uicitq; Tyrannos
Carolus incepit uelut hoc deuoluere saxum
Iamdudum totum longe tremefecit & orbem
Fernandus tanto finem imponet honori.
Fernandus totum tandem sedauerit orbem.
Atq; huius se sponte iugo subiecerit ille.
Huius & auspicijs fœcundior inclyta Roma
Euadet, steterint suluæ dum uertice cristæ.
Hic uir is est, quem iamdudum Cumæa Sybilla
Vaticinata canit mansurum tristia secla
Fernandus Cæsar Diuûm genus aurea condet
Secula, tunc ordo, requies & certa laborum
Huius in aduentu tunc extremi Garamantes
Horrescent monitis Diuûm, & Mæotica tellus,

Et ſeptemgemini parebunt oſtia Nili.
Nec uero Alcides eſt tanto munere functus
Æripidem quamuis ceruam confixerit ille,
Lerneamq; feram curuo tremefecerit arcu.
Quis dubitarit adhuc uirtutem extendere uerbis
Quò tandem rapitur Vates. hic maximus ille eſt,
Vnus qui nobis cunctando reſtituet rem
Ocia qui patriæ rumpet, qui fœdera iniqua
Miſſus in Imperium magnum, ſic ſorte ferente,
Cæſar & hic primus ipſos reſidesq; mouebit
Atq; rebellantes, & qui noua bella ciebunt
Contundet, parcetq; bonis, pluresq; iuuabit
Tantus amor patriæ, pietatis tanta Cupido
Iam, quibus ornanda eſt uerbis conſtantia magni
Cæſaris illius? quibus illa modeſtia ſumma?
Quam uiduus, læſa nunq; pietate uolebat
Conſeruare, Deum facto nec lædere iuſtum.
Et prius aut pulchram per triſtia funera mortem
Ipſe pati, à Diris uri q; ſemper Erynnis
Torturis male factorum, mentisq; flagellis.
Egregium Exemplum, uereq; illuſtre pudoris,
Et dignum, ſera quod poſteritate canatur.
Crediderim ſane conſtans diuinitus ipſum
Perq; bonos genios hucusq; fuiſſe retentum.

Hic

Hic multas animi dotes, & Cæsaris ausus
Prætereo tacitus, quæ nulli cognita non sunt
Orbis ad extremum libro bene digna perenni
Post, ubi confirmata uirum me fecerit ætas,
Fluxerit & uersus uena meliore canendi.
Non paulo magis Heroum describere laudes
Ausim, dum liceat, quæ sit, cognoscere, uirtus.
Pergite Pierides pia numina dicere uersus.
Nunc iacet omnis ager, montes, syluæq; fugaces,
Feraliq; Deæ cinguntur tempora myrto,
Omnia funebri lugent iam carmine tristem
Cæsaris interitum. Nymphis caua flumina testes.
Tu decus hoc æui, pòst, q̄; te fata tulerunt,
Ipsa Pales steriles, Phœbusq; reliquerat agros
Protulit haud illo consuetum tempore fructum
Terra suum, sua læta dedit rus pabula nusq̄;.
Spargite humum uiolis, ornentur templa decora,
Ac summo dentur quoq; debita sacra tonanti
Tectus & acer equus sericis, & mascula Thura.
Pierides: mandat fieri sibi talia Cæsar.
Hocq; super tumulũ æthernũ superaddite carmen.
Carolus armipotens hinc usq; ad sydera notus,
Christiadum custos, atq; inuictissimus Heros.
Quem terræ cæpit decus, Imperiumq; togatum

Hac iacet exigua nunc contumulatus in urna.
Perdomuit multos, ſolam compeſcere mortem
Non potuit, ſorti tamen eſt hunc pectore paſſus.
Cæſarem ad aſtra feram, dilexit nos quoq; Cæſar.
An quicq; tali nobis ſit munere maius?
Et nunc, ut ſpes eſt, felix, diciq; beatus
Poſt obitum Cæſar, ſupremaq; funera debet.
Nec mora, conſcendens inſuetum limen Olympi
Sub pedibus uidet & nubes, & ſydera Cæſar
Miratur ſanctum, Chriſto ductore, Senatum,
Aiq; beatorum ſedes, & limina luſtrat,
Aethereosq; tenet tractus. hæc ſola uoluptas.
Agnoſcitq; Deum, genitor quem miſit, Ieſum.
O æterna ſalus, & non effabilis ulli
Hic non eſuries, hic non ſitis ulla ſuperſtes,
Hic requies animi, hic exhauſtorumq; laborum
Præmia digna manent, hic ſunt plena omnia laudis
Perpetuæ, triadis ſummæ reuerentia ſumma
Vnius aſpectus, & ueri nummis uſus.
Cernis, ut exiliant tellus, & pontus, & æther,
Aëriaq; petant faſtigia ſumma columbæ
Iamq; canat Philomena ſonos, & carmen alauda
Pangat, & incedant pede nunc armenta ſecundo
Orneturq; nouo rurſus iam gramine terra,

Diffugere

Diffugere niues, atq; alto nubila cælo.
Omniaq; in solitum sunt commutata colorem.
Et nunc Aligeri, magna stipante cohorte:
Conscendunt læti, sudumq; per aera tranant
Ad sedemq; patris, Maiestatemq; tremendam
Debita uota canunt, præeunt cytharæq;, lyræq;,
Atq; potestates cæli duodena sonantes,
Sydereæq; domus summis in partibus hærent,
Testanturq; Deum per secula mille, feruntq;
Præ sese gestus, & gaudia multa, precesq;
Propter adoptatum numero, sortiq; suorum
Aeternum Seruatori Pœana canentes.
Ergo age soluamus nos iam quoq; iubila Musæ:
Carolus ætherea cum Christo uescitur aura,
Et regnat summo Princeps cum Principe nostro.

IN

IN RESVRRECTIONE IESV CHRISTI

Carmen, Eodem Autore.

Nvper erat tristis nostris regionibus Orbis,
Flebile plangebat tunc Philomena melos.
Et iam desierant suauissima plectra Deorum,
Nulla canebantur carmina læta diu.
Mœsta Dei mater latè loca questibus implens
Heu fera crudeli uulnere damna tulit.
Defectus etiam Solis, Lunæq; labores
Interitum Domini condoluere sui.
Et iam tunc atra clarus ferrugine Phœbus
Ibat, & obscuris cornibus ipsa soror.
Omniaq; amisso, flebant elementa, Magistro
Muta simul gemitum saxa dedisse putes.
Intulit ut seriem lapsis lux tertia rebus,
Venerunt læti post mala tanta dies.
Noctis erat medium fermè, qua Christus Iesus
Excitus è dira morte repente fuit.
Atq; adeò (mirum) propria uirtute reuixit,
Solius Illud opus creditur esse Dei.
Arte laboratum uictor supereminet ingens
Saxum, tunc quando ianua clausa foret.
Iudæis pressis, somnoq;, ciboq; sepultis,
Mox Christus tumulum linquit, & astra tenet.
Dicant nunc ij, qui custodiuêre sepulchrum,
Miles ut hic Regem perdidit ille suum.

Nec

Nec mora, mox sedes Orci tendebat ad imas,
Ferret ut in celsum corpora sancta Polum.
Primus Adamus ibi Christo contingere dextram
Accurrit properans, atq; ita lætus ait.
Expectate uenis longos optate per annos
Christe, salus mundi totius una uagi.
Accedunt omnes, Regem propiusq; salutant,
Et fundunt hilares linguaq;, mensq; sonos.
O nostræ dubiæ reparator, Christe, salutis,
Quem tremit & tellus, pontus, & astra colũt.
Ergo uis, tecum liquidum scandamus ad axem,
Sit seruatori gratia magna tibi.
Et iam iam uideas patres ex ordine longo
Ire per anfractus, Tartareasq; domos.
Rex quatiens dextra chlamydem, uexilla sinistra
Torquet, & ostendit uicta trophæa manu.
Nec mora, sydereas scandit cum patribus arces,
Fertur & astrigeram lætus aduscq; domum.
Et patulas simul ac portas ingressus Olympi est,
Angelicus totus cœpit adesse chorus.
Fit uia ui, rumpunt aditus, Dominumq; receptant,
Omnia cœlestis plena fuere boni.
Inq; thronum læti, Maiestatemq; serenam
Hi Regem ponunt cœlica turba suum.
Mox inter sese uario sermone serentes
Incipiunt laudes promere cœlicolæ.

Parte alia cingunt se se, Regiq; ministrant
Virtutes cœli, Martyreumq; decus.
Suauibus & mulcent clarum concentibus æthram,
Acceptantq; suum, glorificantq; Ducem.
Omnes hi proni faciem, genibusq; reflexis,
Numen adorabant, uoce sonante preces.
Iam duodena cohors cytharas instruxit & omnes,
Lapsaq; per sudum tangit, ut ante, fides.
Impetus at multò maior, uigor atq; redibat
Plenior, ut tenebras lux solet alma sequi.
Sicut, qui amisit lapidem fortasse Smaragdum
Inuento semper gratior esse solent.
Non alium toto credam mortalibus ægris
Illuxisse diem, plena salutis erat.
Ipsaq; nostra parens Ecclesia laudibus æquis
Exultat, rumpitq; in pia uerba canens.
Salue festa dies toto uenerabilis æuo,
Qua Deus infernum uicit, & astra tenet.
Ecce renascentis testatur gratia mundi
Omnia cum domino dona rediisse suo.
Namq; triumphanti post tristia tartara Christo
Vndiq; fronde nemus, gramina flore fauent.
Legibus inferni oppressis, super astra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arua, fretum.

Qui

Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat,
Dantq; creatori cuncta creata precem.
Hac Christus dira uictor de morte resurgens
Non posthac tristes sentiet ipse rogos.
Hac etiam postq; plebs est captiua redempta,
Ad uitæ redijt præmia digna suæ.
Occidit hac serpens, atrum perijtq; uenenum,
Crux Christi facta est gloria nostra die.
O ter sancta dies, nitidoq; notanda lapillo,
Quæ nos præsentem fecit habere Deum.
Nostrum Pasca Deus uiuens hac hostia nobis
Oblatus, nostris pectoribusq; salus.
Qui cum patre regis uictor per secula mille,
Atq; triumphantis signa adaperta geris:
Fac nos id Festum recte celebrare, pieq;,
Vt, quod fit, laudi seruiat omne tuæ.
Fac & morte tua, uel caro sanguine fuso,
Ad Stygias nunquam præcipitemur aquas.
Numinis atq; tui flatum concede benignum,
Qui moueat uera pectora nostra fide,
Qui nos in ueterum quoq; Relligione parentum.
Confirmet famulos tempus in omne tuos.
Claraq; quaternis tuba cum de partibus Orbis
Signa dabit, serua corpora nostra, Deus.

FINIS.

68-408
Wm Salloch

1558
A512t

WILLIAM SALLOCH
Pines Bridge Road
Ossining, New York